

299. II, 3-38 — Carta do cardeal Varmienne a D. Sebastião sobre o Concílio Tridentino. Trento, 1562, Fevereiro, 16. — *Papel. 2 folhas. Bom estado.*

Serenissime rex et domine domine observantissime

Venit huc tandem orator majestatis tuae, magno cum desiderio pridem a nobis expectatus. Reddidit mihi literas tuas, tam humaniter et benigne scriptas, ipsa ut humanitas humanius non potuerit.

Quale autem est hoc, quod rex tantus, me nonmodo de facie tibi nunquam notum, verum etiam in his terris natum, quae longissimo locorum intervallo sunt a regno tuo disjunctae, non solum quem literis tuis appellares dignum duxisti, verum etiam et cardinalitiam dignitatem, quam ad me nec opinantem pientissimus pontifex detulit, et legati munus quod Paulo post mihi mandavit, tam amanter mihi gratulatus esse:

Est autem ita ut scribit majestas tua, quod utrumque mihi praeter expectationem meam accidit. Nec facturus eram quicquam libentius, quam ut si qua ratione licitum id mihi fuisset, utrumque recusarem. Sed cum is mandaret, cui non parere, est christianum non esse, et ita mandaret, ut nulla recusandi potestas daretur, feci quod à Christi vicario mihi (1 v.) fuit imperatum, ac majus onus humeris meis, quam quod ferre possent, imponi passus sum, illius auxilio fretus, cujus vicario morem gerere necesse fuit.

Quamvis autem causa nulla fuerit, cur gratulationem hanc tuam ad me mitteres, cum plus oneris mihi, quam honoris accessisse videatur, obscure tamen ferre non possum, quod vehementer ea re delectatus fuerim, tantum regem, tam amanter, munus utrumque, literis mihi suis gratulatum esse. Quo nomine, plurimum etiam tibi me debere profiteor. Utinam autem aliquid esset earum rerum in me, quas tu mihi ex abundantia quadam amoris in me tui, tam prolixè tribuisti. Equidem non alium in usum libentius eas conferrem, quam ut primum ecclesiae utilitati, pro eo uti munus hoc meum postulat, deinde majestatis tuae dignitati, pro virili mea inservire possem. Cui vicissim gratulor, quod simul ut audivisti, concilium oecumenicum indictum esse, in quo de ratione fidei christianae conservandae, et extirpandarum harescon, deliberatio susciperetur, quamvis nemo sit regum christianorum longius ab hoc loco remotus, primus tamen omnium fuisti, qui tuos hic episcopos mitteres, viros cum doctrina, tum pietate insignes tuumque studium comprimis ardens, adjuvandae pro virili parte tua reipublicae christianae, haud aliter testatum orbi faceres universo, atque tres illi reges olim, qui ex remotissimis terrae finibus ad Christum (2) nuper natum, et in cunis adhuc vagientem, eum adoraturi accurrerunt.

Neque dubita pientissime rex, quin maiora sint apud Deum huic virtuti tuae premia posita, quam ut ea mens humana, vel cogitando assequi possit. Replebitis te longitudine dierum, ac omni faelicitatis genere cumulabit.

Cumque longissimo tempore beatus in terris fueris, caelestis etiam illius beatitudinis, compotem faciet Quos vero mihi majestas tua commendat, eos in gratiam tuam, omnibus humanitatis officijs prosequat lubens, ac quicquid erit, in quo gratificari illis queam, nullam ejus rei occasionem praeter mittam. Is enim sum, qui nihil magis cupio, quam ut omni obsequij servitutisque meae genere, gratiam et benevolentiam tua majestatis demereri mihi queam. Quamobrem inter eos me numeres licebit, quos habes tibi servitores addictissimos. Fide, studio, et observantia, erga majestatem tuam, eorum concedam nemini.

Quod superest Deum precor, ut te quam longissimo tempore saluum et incolumem, rebus omnibus ad voluntatem tuam fluentibus, conservet.

Datum Tridenti XVI Februarij. Anno M. D. LXij.

Serenissimae Majestatis Vestrae

Servus humilimus

Stanislaus cardinalis Varmiensis

(B. R.)